


Vg
740



V
g.
740

DE PERFI


DIA ROMANI PON

TIFICIS EPISTOLA

AD CAROLVM CAE

sarem, Authore Germano

Eleutherostomo.



LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG

I
D
Nunq
Po
Cui su
Iu
Cuiq;
Co
Nosti
M
Sed qu
Ho
Cleme
Cu
Cum
Pe
Que
Co
Pontif
Su
Perfid



DE PERFI

DIA ROMANI PONTI

FICIS EPISTOLA AD

Carolus Cæsarem.

Nunquid adhuc dubitas terrarum maxime Cæsar
Pontificem sanctum scilicet esse uirum?
Cui sunt soluendi pariter commissa ligandi
Iura, & conclusi ianua firma Poli,
Cuiq; sit humanæ concredita summa salutis,
Coelorum clauis cui Deus ipse dedit.
Nosti? an dissimulas tantæ periuria linguæ?
Mirum est si scelus hoc dissimulare potes.
Sed quæ tanta piæ poterit patientia mentis
Hoc adeo infandum dissimulare nephas?
Clemens quem fecit superum inclementia Puppam,
Cum Gallo iunxit fœdera facta duce.
Cum Gallis iunxit Clemens socia arma superbis,
Perfidus imperij proditor ille tui.
Quæ nunquam Cæsar uoluisti credere nobis,
Cogeris hæc tandem credere uera uidens.
Pontifici nequid Romano fidere Cæsar
Sustineas, mendax, diximus, esse solet.
Perfidior Poënis Lacijs solet esse Sacerdos

A ij

Et leuibus Gallis uanior esse solet.
Vt quem nulla datae constringant foedera dextrae.
Quiq; colat nulla religione fidem.
Auribus ista tuis sepe inculcauimus, at te
Tum persuadebant talia uerba parum.
Vtpote cui nondum mens improba nota dolosae
Vulpis, erat fraudis plena, referta mali.
Obstabat sancti species, & hypocrisis effrons,
Quo minus hunc poteras Carole nosse lupum.
Sumpticij obstabant tituli, simulataq; uerba,
Quo minus hanc poteras cernere perfidiam.
Perfidiam, qualem iurato Caesar ab hoste
Nunquam sperasses posse uenire tibi.
Qualem Pontificis fidum simulantis amicum
Obiecit Laciij uana reperta fides.
Obstabant alij quorum tibi perfida lingua
Clementem falso pinxerat esse probum.
Sed quae nunc animo superest sententia Caesar,
Postquam decepto sunt data uerba tibi?
Dumq; patent liquido fraudis commenta malignae,
Dum patet instructi pessima techna doli.
Et cum periuri pateant strategemata Poeni,
Et mala uersutae retia perfidiae.
An iterum Laciae reparato foedere Puppa,
Decresti certam Caesar habere fidem?

Improb

Improba blandiloquæ cuius mendacia lingue
Iam tibi tam miris imposuere modis.
Sit satis ò Cæsar falsum semel esse dolose,
Et semel amissam sit satis esse fidem.
An iterum in laqueum à Clemente inducier optas
Ut prius? & tonsa ludibrium esse coma?
Perfidus imperio si te potuisset auito
Exuere, & regnis te spoliare tuis,
Atq; hæc ad Gallum quisset transferre superbum,
Captiuus Cæsar iam traherere miser.
Hostibus impostor sceptris te Cæsar ademptis
Fecisset predam perfidus ille tuis.
Carole iam spolijs Gallus gestiret opimis,
Si res, ut Clemens struxerat, acta foret.
Hinc studuit semper fidum mentitus amicum
Ut falso sanctam fingeret ore fidem.
Quo melius Gallo te incautum proderet hosti,
Tum ubi prodendi copia nata foret.
Indicio est huius, quod nulla iniuria Cæsar
Iusserit hunc partis linquere castra tuæ.
At sola improbitas animi, Studiumq; nocendi
Gallica Clementem compulit arma sequi.
Aut dicat Clemens, si uult Sanctissimus esse,
Nec uult perfidiæ dicier esse reus,
Quæ nam caussa fuit? quæ tanta iniuria? qua sit

A iij

Linquere compulsus Cæsaris arma boni?
Hæc nisi iam fuerit caussis adducta probatis,
Constat te profugum SANCTE fuisse leuem.
Nunc uos collectum simul omnes ite Papistæ,
Hanc Lacijs maculam nominis eluite.
Quin uestrum asseritis iusta ratione fuisse
A tali uacuum proditione Deum?
Heus ubi palpo senex soboles præclara Gnatonis?
Quin tua nunc aperis ora diserta colax?
Fac ut perniciosa tuæ assentatio linguæ
Pontificem tantis uendicet à uicijs.
Egregium audebas medicum affirmare futurum,
Dic mihi, nonne tui te pudet atq; piget?
Est ne, quod dicis, Clemens Sanctissimus? unde has
Sanctus habet labes perditus ergo nigras?
Proditor, impostor, periurus, perfidus, aut hunc
Est Romæ sanctum forsitan esse uirum?
Hoc aluit monstrum Clemens Sanctissimus, hoc te
Opprimere incautum spes sua, Cæsar, erat.
Sed bene consuluit sceleris grauis ultor iniqui
Omnipotens rebus pronior ipse tuis.
Quandoquidem Gallus campo comprehensus aperto,
Incidit in casses preda petita tuos.
Parta est de magno insignis uictoria Gallo,
Et sunt uictrici fixa tropæa manu.

Est

Est inquam elati deiecta superbia Galli,
Contrahe nunc cristas Galle superbe tuas.
Nunc superest, ut in hanc foueam quam fecerat hostis,
Non laesus Clemens perfidus ipse ruat.
An tantum pati nescis hunc Caesar inultum
Ferre? nec audaci premia digna dabis?
Ne facias Caesar, meruit grauiora superbis
Gallis, illi hostes, hic sed amicus erat.
Iuris erat belli quod Gallus sumpserit arma
Perfidiae, Clemens quod capit arma, fuit.
Perfidiae poenam iustum est hunc pendere dignam,
Caesaris ut discant sceptrum timere mali.
Propterea est gladij tibi tradita summa potestas
Caesar, et à magno regia sceptrum Deo,
Ut tua compefcat grauius reuerentia prauos,
Submotisque malis, ut tueare bonos.
Parcere subiectis, et debellare superbos,
Hoc magni est proprium Caesaris officium.
Hoc impune ferens, quid non audebit? apertis
Rebitur insidijs cuncta licere sibi.
Quo non euadet concessa licentia tandem?
Si non innocue crimina tanta feret.
Effera quid rabies tentare uerebitur? hoc te
Si tulit impune dissimulante scelus.
Carole ne facias ut tanta potentia sceptri,

A iij

Est

Ludibrio Romæ sit uiolanda tui.
Pone modum sceleris, uesano obsiste furori,
Pontificis rabiem comprime quæso grauem.
Tandem intentatæ capiat fac premia fraudis,
Atq; luat meriti tormina supplicij.
Et factum grauius tibi fucum ulciscere tandem,
Non facis hoc maius iam pietatis opus.
Sic plebem Christi, quæ seuo oppressa tyranno est
Eripies, Cæsar te simul ultus eris.
Hic te non moueat ratio pietatis habendæ,
Ipsa iubet pietas perdere sacrilegos.
Hic nihil est sanum, nihil est sanctum atq; uerendum,
Cui sit parcendum cernis adesse nihil.
Hic mera colluies fraudisq; & lerna malorum,
Sunt etiam hic uitij equora plena malis.
Ille colit Romam quo toti illuditur orbi,
Omnis qui semel est impietatis homo.
Impius Ausonia dominatur ab urbe Sacerdos,
Qui semel est omnis perditionis apex.
Ut qui sceptrigeros excusso fœdere reges
Committit, belli classica dira canens.
Cuius Pontificum sunt multa exempla priorum,
Quæ, bene uix magnis sunt memoranda libris.
Constat enim furiarũ instar discordibus armis
Hos turbasse pijs sæpe prophana sacris.

Nec

Nec tibi fit soli hæc iniuria Carole, nunquam
Seruat promissam perfida Roma fidem.
Sed quæ quisq; tulit scelera, hæc tibi uindice dextra
Carole sunt poena corripienda graui.
Obstrue Romanam populantem cuncta charybdim
Reges, & populos, oppida, regna, duces.
Obstrue tartareum, quod Roma est, magne barathrū
Pone modum immense Cæsar auariciæ.
Quid non exuxit? quid non spoliauit auaræ
Vrbis fraus, astus, machina, techna, dolus?
Dic, ubi per totum restat miser angulus orbem,
Qui potuit fauces Roma cauere tuas?
Iam certe tellus raptis Germana medullis,
Penè etiam pelle est dispoliata sua.
Vtpote Romulidum quæ longo passa rapinam
Tempore, nutriuit guttura uasta Papæ.
Vendiderat præcio quæ sunt terraq; mariq;
Vendiderat manes, uendiderat superos.
Christum uenalem, coelum uenale ferebat,
Peccandi præcio libera iura dabat.
Quippe sibi in superos, terras, & tartara, summum
Ius tribuens, uoluit subdita cuncta sibi.
Quin etiam Christo medios ostenderat unguis,
Dum quæ decrerat, irrita quæq; facit.
Credere per diras commenta humana iubemur,

Nec

A 5

Diuinis non est legibus ullus honor .
Namq; Deum sese sceleratus homuncio cunctis
Ostentans , Christo par cupit esse Deo .
Deposcitq; coli uice numinis impius ille ,
Cum Christo simili uult quoq; laude uehi .
Regibus imponit tam belua fœda coronas ,
Accipiuntq; sui basia mille pedes .
Dum prodire libet , portatur bestia , Christus
Confecit longum sæpe uator iter .
Scilicet in Christo pater est Sanctissimus ille
Qui quæ sunt belli curat , adornat , obit ?
Qui spargit lites , & pugnis cuncta cruentis
Temperat , & Reges seditione iuuat .
Fare age dic heus dic inclementissime Clemens .
Fecerat hæc Christus? fecerat ista Petrus ?
Nam illius uice , uis huius successor haberi ,
Belua & in sancto spurca sedere loco .
Te successorem ne audebis dicere Petri
Esse? & te Christi dicis habere uicem ?
Abstersisti omnem meretrice à fronte pudorem
O canis , ingenuæ nil tibi frontis inest .
Tu uis Petrinæ censeri nauta carinæ ?
Quanquàm perficias munera nulla Petri .
Sucesti Iudæ potius , qui uendere Christum
Sueuerat , & loculos gesserat ære graues .

Quando

Quandoquidem Christum dum uedere sepius audes,

Congesti cunctas totius orbis opes.

Hoc melior Scariotha foro semel usus iniquo

Non dubitat precium pendere morte malum.

O utinam Iudae exemplum quoque Puppae sequutus,

Suspensus raptas reddere uellet opes.

Cum sis omnigeni iuris peruersor & aequi,

Et facile es cuncti fons & origo mali.

Et qui nobiscum fictis agit omnia uerbis,

Quaerens ex nostris commoda certa malis.

Qui fit, ut Petri hoc titulo successor haberi

Atque locum Christi solus habere cupis?

Quantum respondet clarae nox atra dici,

Tam tua respondet perdita uita Petro.

Mobile quantum ima coelum tellure remotum est,

Tam procul à Christo Psychotyranne manes.

Quod si pastoris decreras munere fungi,

Esse nec horrendis par feritate lupis.

Ducere debebas ad pascua sueta misellas

Et uerbo Christi pascere semper oues.

Non deuastare, & raptos ab ouilibus agnos

Perdere, sed trepido mitis adesse gregi.

Comiter errantes monitis superare benignis,

Qualia sunt literis plurima docta sacris.

Debebas furem, à septis arcere latrones,

Quando

Nunc præ te nullus creditur esse latro.
Omnibus innocuus, debebas nemine læso
Vt Christus cunctis utilis esse parens.
Inter discordes placidæ componere pacis
Fœdus, & iratos conciliare duces.
Nullius insanum flammis augere furorem,
Nec magis ardentem extimulare faces.
Nunc tibi non studio est motos sedare tumultus,
Sed laceras rupta fœdera pace ferox.
Te quoq; flammiumos oleo nutrire caminos,
Et iuuat insanis addere calcar equis.
In summa, humanis es fax ipsissima rebus,
Vnde nocens terris pestis, & unde lues.
Officij fuerat, neutri te iungere parti,
Rem tamen arbitrio composuisse tuo.
At fuit hoc studium cunctis commune Papistis
Romanos solida ludere fraude duces.
Et tu (sis quanquam dubio patre) sanguinis huius,
Non potes à patribus degenerare tuis.
Inunc, dic blande dilecte ò Carole fili,
Si tuus est natus spurcius alter erit.
Tu nam connubij condemnas iura beati,
Vnde ergo nati spurce Cynæde tibi?
Ne nos quæso tuos dicas spurcissime natos,
Corpore es haud noster, sed neq; mente parens.
Est pa

Est pa
Ille
Hinc
Q
Quin
Po
Iam sa
T
Quæ
E
Hoc t
H
Hinc
N
Qua
A
Sed t
S
At m
C
Si te
A
Cog
I
Fert

Est pater in summo, quem nos ueneramus olympo,

Ille suos iugi sedulitate fouet.

Hinc tibi Apostolicam serua priuigne salutem,

Quam nobis Lacia mittis ab urbe frequens.

Quin etiam affectus simulata mente paternos,

Posthac seruato saue Tyranne domi.

Iam satis elusa est plumbatis Teutona Bullis

Terra, subolsfecit ludificata dolos.

Quae prius immodico fuerat Germania lucro

Ebria, nunc damno est sobria, Roma, tuo.

Hoc tu deploras inclementissime Clemens,

Hoc te angit, mordet, uellicat, urit, agit.

Hinc ulciscendi meliorem cernere causam

Non poteras, quam si Celtica castra iuues.

Quanquam ficticijs nunc perfide fingere scriptis

Adproperas, aliud stans aliudq; sedens.

Sed tua te modicum mendacia ficta iuuabunt,

Si dux officij uult memor esse sui.

At memor esse uelis precibus te poscimus omnes

Carole, fac poenam te Duce Puppa luat.

Si te nulla mouet tantarum iniuria fraudum,

At saltem populi commiserere tui.

Cogitur hic Lacio misere seruire Tyranno,

Legibus oppressa est libera turba feris.

Fert Christi indignum adflucta ecclesia regnum,

uius,

arens.
Est pa

Fert etiam durum debilitata iugum.
Mitius immittem sensit Iudæa Pharonem,
Dum tulit immensi pondera seruitij.
Huic deglubendos quàm longo tempore Cæsar,
Tandem permittes Carole magne tuos?
Qui tibi non dubitat uerbis obtrudere palpum,
Ille ruit Cæsar in tua iura ferox.
Ecce tuos populos damnosa legibus amens
Oppressit regni proditor ille tui.
Te simul imperio uoluit nudare, ferenda
Ista putas? non sunt ista ferenda tibi.
Qui struit insidias, & fidum fingit amicum,
Est equidem hic hostis terq; quaterq; nocens.
Pessimus est igitur Clemens etiam hostis habendus,
Quod pariter nobis hostis amicus erat.
Ne te mellitæ letalia mulsæ loquelæ
Posthac decipiant, Carole magne, caue.
Si non Romanam cupis hic perdiscere fraudem
Hanc Cæsar, nunquam discere uelle cupis.
Vos quoq; Germanæ proceres exurgite terræ
Hactenus illusit bestia spurca quibus.
Quorum præstigijs oculos uiciauit apertos,
Et uos quo libuit Puppula nare trahit.
Quin Antichristum tandem cognoscitis hostem,
Cuius uos seruos non tædet esse Duces.

Figur

vestra opera stabilem bipedum nequissimus orbem
Possidet, & uestra ualde superbit ope.
Rudelis per uos, per uos est mente feroci,
Et uobis fretus cuncta nephanda facit.
At quam decepti proceres errore locastis
Huic operam, posthac oro tenete manus.
An cupitis scelerum Latiali fraude peractum
O proceres fieri uos quoq; participes?
Vos quoq; iudicij sententia dura futuri
Ad Phlegetontæas, credite, mittet aquas.
Illic perpetuo cruciandos flamma cremabit,
Quæ semper uiuas est habitura faces.
Quod Pseudochristi collapsum & debile regnum,
Gnauiter exhibita fortificatis ope.
At tu magne Ducum Cæsar cessantibus illis,
Fac tua non cessant arma quieta simul,
Quin etiam hanc laudem meritis adiunge triūphis,
Ut te uesanus uindice Puppa cadat.
Mollis sacrificus cum semiuiro comitatu,
Fac tua præsentis sentiat arma malo.
Et tu pressa diu pugnax Germania, tandem
Excute Romanum libera terra iugum.


19 740 001

Handwritten signature or name

19



X 2206793



Farbkarte #13

B.I.G.



DE PERFI
 DIA ROMANI PON
 TIFICIS EPISTOLA
 AD CAROLVM CAE
*sarem, Authore Germano
 Eleutherstomo.*

Vg.
 740

BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SALE)

